





*Su 12115*

*N° 37*

*1748, 22.*

DISPUTATIO IURIDICA  
QVINTA  
**SELECTIORA IURIS  
PRINCIPIA**

A D

ORDINEM DIGESTORVM EXPOSITA  
LIBRI II. SPECIMEN III. CONTINENS

Q V A M

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS  
INDVLTV  
P R A E S I D E  
**IO. TOBIA RICHTERO**  
PHIL. ET I. V. D.

AD DIEM XIX. IVN. A. C. N. MDCCXLVIII.

H. L. Q. G.

PUBLICE VENTILANDAM PROPONIT  
**IOAN. DANIEL LONGOLIVS**  
B V D. L V S.

---

L I P S I A E  
LITTERIS LANGENHEMIIS.

*F. G. Ganzl.*

DISPUTATIO IURIDICA  
AVINTA  
SELECTIORA IURIS  
PRINCIPIA  
AD  
ODINUM DIGESTORVM EXPOSITA  
LIBRIS SPECIMENI CONTINENS  
GAVM  
HISTORIA IUDICIA ORDINIS  
INDIVITA  
PRAEVIDE  
TOBIJ RICHTERI  
PHILIPETANUS  
AD DICH M DCCCLXVII  
EX LIBRIS  
BASILEÆ VENTILANDVM LIBRORVM  
JOHN DANIEL FONGOLIAS  
DAP. LVA  
LIPSIAE  
TITTELS LANGENHEIM



Q. D. E. V.

S E L E C T I O R V M I V R I S  
P R I N C I P I O R V M  
A D D I G E S T O R V M  
L I B R V M II. S P E C I M E N III.

I.

H odie loco phrasum, vadimonium deserere et eremodicium contrahere, quas eleganter Schultingius et Brissonius<sup>a)</sup> explicant, utimur vocabulo contumaciae, quae est factum illicitum quo quis iussui iudicis inobediens existit aut quocunque modo officio suo deest. Eam vel expressam vel tacitam esse largior, cum quis omnino vel se nolle obedire declarare queat<sup>b)</sup> vel etiam sciens tantum officio suo deesse, quod posterius sententia Iauoleni<sup>c)</sup> comprobatur, quia non potest dolo carere, qui imperio magistratus non paruit. Qui vero con-

A 2 tumaciam

#### 4 SELECTIORA IURIS PRINCIPIA

tumaciam in veram et praesumptam dispescunt  
rem aliquam admittunt quae analogiae iuris  
manifesto refragatur. Vocant enim contu-  
maciam praesumptam, cum de insinuatione ci-  
tationis plene non constat. Praesumitur itaque  
hoc modo aliquod illicitum: quem autem fu-  
git omnem praesumptionem esse delicti exclu-  
siuum? Praesumitur factum, legitimae scili-  
cet insinuationis: quis autem inquam salua  
Legum auctoritate hoc affirmabit? Est igitur  
praesumpta contumacia non ens.

- a) SCHVLTING. in Enarrat. Part. Prim. Digestor. Lib. II.  
tit. II. §. 1. 2. BRISSON. de V. S. voc. vadimonium et  
eremodium.
- b) L. 53. §. 1. ff. de re iudic.
- c) L. 73. §. 3. ff. de iudic. L. 23. §. 3. in f. ff. de appellat.  
L. 199. ff. de R. I.  
Dissent. quoad contumaciam praesumptam BERGE-  
RVS Oec. Iur. Lib. IV. tit. 16. §. 1.

#### II.

Contumax non est qui de negotio, pro-  
pter quod comparendum erat, transegit, etiam  
si in ius vocatus emaneat, nam causa contro-  
uersa composita, in iudicio nihil remanet pera-  
gendum; unde cum negligi nihil possit, eo-  
dem casu fingi nec poterit contumacia. Qui-  
bus principiis admissis, conciliandus nunc est.  
Vlpianus, <sup>1)</sup> cuius verba haec sunt: *non exi-  
gimus reum iudicio sisti, si negotium propter  
quod*

quod iudicio sisti promisit, fuerit transactum:  
sed hoc ita, si non prius id negotium transactum  
sit, quam sisti oporteret. Quae dicta quibus-  
dam absurdia visa sunt, quoniam reus dimit-  
tendus non esset, si, cum sisti oporteret non-  
dum fuerit transactum. Sed salua res est et-  
iam absque transmutatione verborum, quam  
alii in subsidium vocarunt. Agit enim Vlpia-  
nus de vadimonium deferente, ut verba Le-  
gis finalia docent, quaestioneque decidit:  
an reus iam contumax, aut poena promissa,  
non obstante transactione reum iudicio sisti,  
exigi adhuc possit? Quodsi enim prius quam  
sisti oporteret transactum sit, res luce meridia-  
na est clarior.

a) L. 2. pr. ff. si quis caut, in iudic. sistend. cauf. fact.  
conf. SCHYLTINGII Enarrat. Part. Prim. Digestor.  
Lib. II. tit. II. §. 5.

### III.

Alleganda quidem sunt legitima impedi-  
menta et demonstranda tempestive, quia idem  
est legitimum impedimentum non habere, ac  
illud non legitime indicare, dummodo non  
ex improviso maxime superuenerint, puta si  
quis in itinere morbo affligeretur; is enim ad-  
huc audiendus est, cui nec aliquid potest im-  
putari. Renunciari autem iisdem aliter haud  
potest quam si specialiter causae exceptionum

## 6 SELECTIORA IVRIS PRINCIPIA

expressae<sup>a)</sup>) cum ad non cogitata conuentiones non extendantur, et simul in potestate renunciantis sint, quia impossibilium nulla est obligatio.<sup>b)</sup>)

a) L. 4. §. 4. ff. si quis caut. in iud. sistend.

b) L. 185. ff. de R. I.

Obst. alleg. L. 4. §. 4. ff. si quis caut. in iud. sistend.

## IV.

Feriae tanquam dies a cognitione et disceptatione forensi vacui publica auctoritate constituti,<sup>a)</sup> tam diu durant quam dies feriis destinatus nondum est praeterlapsus ac in iudicio aliquid potuit expediri: Inde dies quidem sunt computandi. Cum tamen triplex dierum computatio cognita sit, *alia* scilicet ciuilis<sup>b)</sup> a media nocte ad medium noctem: *alia* canonica<sup>c)</sup> de vespera ad vesperam: *alia* naturalis<sup>d)</sup> ab ortu solis ad occasum; dubito an ea indistincte hoc loco usum sit habitura. De illa ciuili res certa est; nam inconueniens est nocturno tempore magistratum in publico versari,<sup>e)</sup> adeoque licet dies feriatus ex hac computatione sit praeterlapsus, statim tamen in iudicio frustra comparetur. Nescio itaque an ea de re Lauterbachio<sup>f)</sup> sit subscribendum, qui in dubio diem ciuilem intelligendum esse admittit, quamuis largiar, illius in negotiis indif-

AD DIGEST. LIB. II. SPECIM. III. 7

indifferentibus usum esse,<sup>g)</sup> quo et ratio pertinet, quam habet Paulus:<sup>h)</sup> quicquid his horis actum est perinde est, quasi quavis hora lucis actum esset. Canonica hoc loco id forte utilitatis praestabit quod a tempore vespertino iudicium sit claudendum. Naturalis maxime hic spectat, adhibita tamen perpetua limitatione supra dicta: modo in iudicio aliquid possit expediri; nam neque statim ab ortu solis nec usque ad occasum sui copiam iudices facere solent.

- a) L. 9. L. I. pr. ff. de feriis. LAVTERBACH. Coll. Pand.  
Lib. II. T. 12. §. 13. in f.
- b) L. 8. ff. cod.
- c) c. I. X. de feriis.
- d) conf. L. 2. §. 1. ff. de V. S. ibique GOEDDAEVS n. 31.
- e) L. 2. §. 31. ff. de O. I.
- f) in Colleg. Pand. Lib. II. T. 12. §. 7.
- g) GOEDDAEVS ad d. L. 2. §. 1. ff. de V. S. n. 7.
- h) in L. 8. ff. de feriis.

V.

Feriae humanae rusticae circa rem rusticam occupatis, quo et tempus seminum spargendorum die Saat-Zeit refero:<sup>a)</sup> urbanae contra urbium usibus, veluti nundinae annales,<sup>b)</sup> sunt concessae. Quicunque igitur cum re rustica nihil commercii habet, illi nec feriae rusticae possunt prodesse: qui vero usus illius urbani participes fieri queunt, illi profecto

8. SELECTIORA IVRIS PRINCIPIA

fecto et vrbanarum feriarum sentient esse-  
tum. <sup>c)</sup> Ex quibus contra Brunnemannum <sup>d)</sup>  
infero, non rusticas sed vrbanas ferias omni-  
bus prodesse. Ita priuilegia nundinarum non  
tantum in fauorem mercatorum sed et negoti-  
torum adeoque aliorum et emtorum et ven-  
ditorum introducta sunt. <sup>e)</sup> Et sicuti haec  
priuilegia vniuersalia sunt; ita et in vniuer-  
sum omnis generis delinquentes hic exci-  
piuntur, quorum nullus dici potest beneficio  
dignus.

- a) arg. L. i. pr. ff. de feriis.  
Dissent. LAVTERB. Coll. Pand. Lib. II. T. 12. §. 13.  
in f.
- b) L. vn. C. de nund. et mercat.
- c) quod et iure Sax. cautum O. R. T. XI. §. 5. T. II. §. 4.
- d) Proc. ciuil. c. 6. n. 24. et 25.
- e) all. L. vn. C. de nund. et mercat.

VI.

Tempore feriarum nec actus voluntariae  
iurisdictionis expediri possunt, eo enim tem-  
pore iudicium est clausum, quod impedit quo-  
minus ibidem valide quidquam suscipiatur et  
nec iudex sui copiam facere tenetur. <sup>a)</sup> Quic-  
quid autem ab aliis in contrarium adducitur,  
id non, nisi quatenus renunciare feriis licet,  
admittendum est, quia vt dictum, omnis actus  
judicialis cessat. *Quemadmodum igitur nec*  
*sacris*

sacris feriis, <sup>b)</sup> nec humanis honorariis et repentinis, <sup>c)</sup> sed inter humanas tantum illis, qui in utilitatem priuatorum imprimis introductae sunt, <sup>d)</sup> renunciari potest: et sicuti porro nec eiusmodi renunciatio aliter nisi iudice consentiente valet, ita nec voluntariae iurisdictionis actus in feriis sacris aut humanis honorariis et repentinis sed tantum in reliquis, vbi index consensit tractantur, <sup>e)</sup> cum alias Lex prohibitiua adsit. De necessitate quae Legibus caret, non loquor.

- a) L. f. §. 1. C. de feriis. et arg. L. 1. §. 1. in f. ff. eod.
- b) c. f. X. de feriis.
- c) arg. L. 38. ff. de pact. L. 26. §. 6. ff. ex quib. cauf. maior.
- d) L. 41. ff. de minorib.
- e) L. 1. §. 1. L. 6. ff. de feriis.  
Obst. L. 2. ff. L. 2. L. 8. C. de feriis.

## VII.

Dilatio etiam ex mente iuris Romani, est certum temporis spatium negotio expediendo concessum; <sup>a)</sup> quod si ulterius extendatur, prorogatio vocatur. <sup>b)</sup> Largior quidem totam hanc materiam tanquam ad processum pertinentem, magis ex ordinationibus cuiusvis loci processualibus, quam ex iure civili hauriendam esse; nihilominus tamen principia quaedam ut perpetua et voluntati nostrorum principum bene congrua retinenda esse

B

arbi-

## 10 SELECTIORA IURIS PRINCIPIA

arbitror, veluti: <sup>c)</sup> quod constitutum, iudicantes sentire debent, ut hac ratione non sibi concessum intelligent dandae dilationis arbitrium, sed eandem dilationem, si rerum vrgentissima ratio flagitauerit, et necessitas desideratae instructionis exegerit, esse tribuendam.

a) L. 7. ff. de ferais L. 1. C. de dilat.

b) LAVTERB. Coll. Pand. L. II. T. 12. §. 28.

c) uti expressis verbis habetur in L. 1. C. de dilat.

Dissent. LAVTERB. all. loc. §. 34. ibique cit. GAL-  
LIVS L. I. Obs. 91. n. 6. et VVLTIEIVS de iudi-  
ciis L. II. c. 7. n. 360. seq. qui arbitrio iudicis  
hanc totam rem attribuunt.

## VIII.

Etiamsi hodie libellus per modum enty-  
mematis, omissa nimirum causa iuris generali,  
quia curia nouit iura, recte concipiatur et pro-  
ponatur; exceptiones tamen adhuc bene no-  
tandae sunt. Huc primum refero, si quis in iure  
consuetudinario aut singulari, quod non satis  
est cognitum, actionis fundamentum ponat;  
iudex enim sententiam latus Legibus, secun-  
dum quas iudicandum est, destitutus esse ne-  
quit. Deinde hoc adiicio, si actor in casu obviuo  
iure nitatur controuerso, quippe alias si contra-  
ria opinio in hoc iudicio haetenus obseruata  
sit, libellus facilime reiicietur. Aut si actor  
haec omittat, imputet sibi, quando postea pro-  
priis

**AD DIGEST. LIB. II. SPECIM. III.**

priis impensis vel adpellando vel leuterando  
neglecta corrigerere teneatur.

conf. O BRECHT. Tr. de concip. et formand. libelli  
bell. c. 15. n. 3. et 4.

**IX.**

Omnis clausulae quas causarum patroni  
frequentius olim quam hodie libellis adicere  
confueuerunt, si rei veritatem perpendimus,  
frustraneae sunt. Aut enim faciunt ad libelli  
vel actoris intentionis perspicuitatem, et tunc  
ne quidem ut clausulae singulares, sed ut par-  
tes libelli necessariae, quae maxime narratio-  
nem causae supplent, habendae sunt: Aut in-  
tendent id quod leges iam iubent, adeoque  
iudex ex officio obseruare necesse habet, ve-  
luti de impensis litis refundendis, item pro  
larga iuris et iustitiae administratione implora-  
ratio, etc. tunc ut ipsa res docet, sunt et ma-  
nent superfluae, quamvis in praxi sint rece-  
ptae.

Dissent. LAVTERE. Concluſ. Foreniſ. Exerc. VII.

§. 13. conf. et MYNSINGER Centur. IV. Obs. 55.

aliisque.

**X.**

Actio personalis et hypothecaria neque  
contra tertium rei oppignoratae possessorem  
neque contra debitorem principalem potest  
cumulari; <sup>1)</sup>) nam in casu priori ambae actio-

112. I. SELECTIORA IURIS PRINCIPIA

enes aduersus tertium ne quidem competit, quod est contra naturam cumulationis: in posteriori autem tendunt ad eundem finem adeoque electiue competit, quod itidem indoli cumulationis refragatur.<sup>a)</sup> Atque hoc, ubi aduersus debitorem agendum est, siue de debito certo constet reusque illud fateatur siue non, adhuc verum esse arbitror, quia illo etiam casu nihil quam eligendi potestas deduci potest.

a) arg. L. 43. ff. de solut. L. 6. §. 1. L. 13. ff. quib. mod. pignus vel hypoth. soluit. Obst. Nou. IV. c. 2.

Dissent. M VNSING. Cent. I. Obs. 58.

b) L. 76. §. pen. ff. de Legat II.

XL

Libellum emendare pariter ac mutare in omni litis parte ante tamen rem indicatam iure licet; nam veritas facti est spectanda.<sup>a)</sup> Quodsi quis igitur oratione ambigua usus sit, aut circumstantias quasdam incongruas interposuerit, praeter hoc, quod id iam accipiendum quod ei utilius est,<sup>b)</sup> ipsa laedetur veritas, nisi emendatio et correctio admitteretur.<sup>c)</sup> Paro modo actor iure munitus, qui vel falso haec tenus fundamento usus est, vel pro re debita aliam diuersamque petiit, contra ius fasque repelleretur, nisi mentem

mentem et libellum mutaturus etiam breui ante sententiam audiretur.<sup>a)</sup> Ceterum per se patet, nullam vñquam mutationem in eodem iudicio fieri posse,<sup>b)</sup> sed ea admissa novo semper iudicio agendum: imo impensas ab eo qui temere haçtenus litigavit, alteri refundendas esse. Dicta denique cuncta iure nostro Saxonico haud obscure probata licet magis determinata videntur,<sup>c)</sup>

a) L. 5. C. de edendo. add L. 3. C. eod.

b) L. 66. ff. de iudic.

c) L. 46. ff. de re iudic. L. 4. §. 3. ff. de noxal act.

d) §. 35. I. de action. L. 3. C. de edend.

Obst. Auth. *qui semel* C. quomodo et quando iud.

Difflent. BRONCHORST. ΕγαντιοΦανων. Cent. I.

affert. 20.

e) L. 23. ff. de iudic.

f) O. R. Tit. V. §. 9.

## XII.

Nudam promissionem vbi is cui promissum, nondum consensit,, seruandam non esse ex iure naturali admitto; nam promissio est voluntas adeoque conatus, a quo tamen ad actum haud concluditur; quare id quod ita promissum in τῷ suum alterius translatum dici nondum potest. Si quis igitur rem promissam facere suam cupit, necesse est, ut eam habere velle declareret adeoque consentiat. Et huc pertinent quae in iure ciuili de pollicitatione

14 SELECTIORA IURIS PRINCIPIA

tione traduntur, quippe quae nec obligacionem nec actionem nisi ex Legis confirmatione parit.<sup>a)</sup> Quoties vero identitas voluntatum, ut philosophi loquuntur existit, hoc est siue quis praecedente interrogatione sine subsequente vel verbis vel facto voluntatis declaratione in alterius promissum consensit, toties praeter acceptationem tanquam actum a consensu diuersum, quem alii desiderant<sup>b)</sup> firmissimam obligationem subesse statuo, quia sic promissum in rō suum alterius translatum fuisse palam est. Qui igitur eiusmodi promissa non seruat, iniquus non tantum sed et iniustus merito dicetur. Idque imprimis hodie iuris manifesti erit, cum nudae pactio[n]es firmiter obstringant.<sup>c)</sup>

a) L. 1. §. 1. et tot. tit. ff. de pollicit.

b) III. DARIES in Instit. Iurispr. Vniuersal. P. spec. sect. II. §. 408. et 414.

Dissent. Idem d. l. §. 405. cor. 1. et 2.

c) mores testantur nuda pacta valere et ab eo quod ex L. 15. ff. de praescr. verb. colligitur, fuisse recessum.

XIII.

Consensus praesumtus et fictus et iure naturali et ciuili sunt nonentia; nam vbi nulla voluntatis declaratio est, ibi nec est consensus. Nam vbi praesumitur et fingitur, ibi declaratio voluntatis deficit, quia nec verba nec facta  
quaes

quae illam exhibent subsunt; quare consensus et fictus et praesumtus non potest non negari. Leges ciuiles autem hac de re nihil certi statuerunt.

Obst. ex iure ciuili L. 1. §. 3. ff. de pact. vt et doctrina de obligationibus quae quasi ex contractu nascuntur.

XIV.

Pacta legitima quibus olim multum valoris tribuebatur, hodie quicquam efficere desierunt. Postquam enim principium iuris ciuilis, quo ex nudo pacto actio non oriebatur, ab vsu recessit, quid opus est confirmatione legali? Eorum igitur indolem cognoscere propterea tantum expedit ut opus iisdem hodie non esse sciamus.

XV.

Incongrua est doctrina, qua pactum in reale et personale diuiditur; nam ex pacto oritur ius ad rem: ex hoc actio in personam: haec vero monente Vlpiano <sup>4)</sup> semper aduersus eundem locum habet; hinc quale pactum possit esse reale, non perspicitur. Nec est quod idem de obligatione fideiussorum et heredum explicemus; illi enim ex proprio pacto: hi autem ex Lege in specie tenentur, vtroque tamen casu non nisi ius remanet et pactum personale. Tanto minus igitur, quod pluri-

16 SELECTIORA IURIS PRINCIPIA

rimi statuunt, <sup>b)</sup> pactum reale in dubio est praesumendum. Quia tamen heredes ex facto defuncti tenentur (de fideiussoribus enim ne quidem communis opinio potest defendi) res ita est explicanda: si in potestate heredum est, id praestare, quod defunctus promiserat, ad idem ob ius alteri quae situm obstricti sunt: si non est, promissore defuncto, alterius etiam ius cessat, quia eorum quae fieri nequeunt nec ius esse potest.

a) L. 25. pr. ff. de oblig. et act.

Obst. L. 7. §. 8. et L. 40. pr. et §. f. ff. de pact.

b) vid. imprimis LAVTERB. Coll. Pand. L. II. T. 14. §.  
10. et II.

Dissentient plurimi.

XVI.

Transactio in stricto et iuris civilis sensu merito definitur per contractum innominatum, quo aliquo dato accepto vel promisso a lite disceditur aut res dubia vel incerta remittitur. <sup>a)</sup> Semper enim synallagma in se continet, cum nullo dato vel retento seu promisso minime procedat, <sup>b)</sup> imo parit actionem de praescriptis verbis. <sup>c)</sup> Quia tamen hodie nullus contractuum innominatorum superest usus, quin transactio in genere possit vocari conuentio, non est ambigendum.

a) conf.

**AD DIGEST. LIB. I. SPECIM. III. 17**

- a) conf. HELFRICI VLRICI HVNNII Tr. de transact. actione c. 1. p. 3.
- b) L. 38. C. de transact.
- c) L. 6. et 33. C. eod. add. L. 1. 2. 3. ff. de praescr. verb. Obst. L. 10. L. 38. Cod. eod.

**XVII.**

Propter errorem sicut propter metum, et dolum, in transactione concurrentem, ipsa transactio non quidem rescinditur sed nulla est; non enim consentiunt qui errant:<sup>a)</sup> transactio autem quia est species conuentionis sine consensu ne fingi quidem potest.<sup>b)</sup> Falsissimum itaque est, quod statuunt, in omni transactione alterum errare.<sup>c)</sup> Neque in eo ponenda est species erroris, quod res dubia supponatur, qui enim scit rem dubiam, is errare dici nequit.

- a) L. 15. ff. de iurisd.
- b) L. 2. ff. de transact.
- c) vt fecit LVDOVICI in Doctr. Pand. L. II. T. 15. §. 7. Obst L. 19. C. de transact.

**XVIII.**

Verba Legis:<sup>a)</sup> *transigere vel pacisci de crimine capitali, excepto adulterio, prohibitum non est*, tantum ex auctoritate Iustiniani imperatoris sunt interpretanda, quippe qui Triboniano ceterisque compilatoribus, si qua emendatione opus foret, hanc facerent, permisit.<sup>b)</sup> Iam vero adulterium tempore Iustiniani

C

## 18 ELECTIORA IVRIS PRINCIPIA

stiniiani gladio puniebatur; <sup>e)</sup> quare in dicta Lege codicis excipi omnino poterat. Sint igitur ut alii coniiciunt, <sup>d)</sup> verba: *excepto adulterio*, glossema Tribonianii, quod tamen serio haud concedo, merito sane et satis congrue hic inserra sunt, et conciliari optime possunt. Quod vero alii statuunt, adulterium ideo hic excipi, quia olim ex Lege Iulia capitale non fuerit, <sup>c)</sup> id etiam si verum sit, absque manifesta contradictione accipi nequit.

a) in L. 18. C. de transact.

b) Constat. Cordi nobis est §. 3.

c) §. 4. I. de public. iud.

d) CVIAC. L. VI. Obs. ii. et WESENREC. in Paratit. ff. de transact. n. 5.

e) LUDOVICI Doctr. Pand. L. II. T. 15. §. 3. et laudat CVIAC. et WESENREC.

## XIX.

Propter instrumenta nouiter reperta transactione nunquam rescinditur, neque si nova ex illis agendi causa desumi possit. Primum enim Legibus expressis <sup>b)</sup> diserte cautum est: sub praetextu instrumenti post reperti transactionem bona fide finitam rescindi iura non permittere. Deinde transactionis pacto aut in genere negotiorum aliquod est compositum, et tunc omnes species adeoque nouam non minus agendi causam, simul comprehendit, sicut idem in re iudicata iuris est, quoties genera-

neraliter causa decisa,<sup>b)</sup> et non minor auctoritas transactionis quam rei iudicatae statuitur: <sup>c)</sup> aut super speciali fundamento tantum lis est finita, et tunc noua quae post exoritur, agendi causa, eiusmodi transactionem prorsus non tangit, sed ad non cogitata merito refertur, hinc illa subsistere et haec nihilominus vrgeri potest.<sup>d)</sup>

a) L. 19. C. de transact.

b) L. 4. C. de re iud.

c) L. 20. C. de transact.

d) arg. L. 14. pr. §. 2. ff. de except. rei iud.

Obst. L. 206. ff. de R. I. it. L. 31. ff. de iureiur. add.

L. 2. ff. eod.

## XX.

Variae sunt coniecturae quibus multi et magni nominis ICti responsum Scaeuelae<sup>a)</sup> in casu quodam transactionis datum interpretari obscuritatemque qua istud laborat tollere studuerunt; <sup>b)</sup> sed omnes arduum hoc opus ac difficile professi sunt. Tentabo an breuiter via lucis demonstrari possit. Verba haec sunt: *controversia inter legitimum et scriptum heredem orta est, ea que transactione facta certa lege finita est: quaero, creditores quem conuenire possunt? Respondit, si iidem creditores essent qui transactionem fecissent: si alii creditores essent: propter incertum successionis pro par-*

C 2

te

20 SELECTIORA IURIS PRINCIPIA ETC.

*te hereditatis, quam uterque in transactione ex-  
presserit, utilibus conueniendus est. Accipiunt  
primo loco quidam terminum heredis scripti  
pro herede fiduciario, et legitimi pro fideicom-  
missario, c) cuius tamen explicationis nec ra-  
tionem nec urgentem necessitatem video. Reti-  
neant itaque significatum a ICtis introductum,  
tritum satis et inter omnes receptum. Post  
verba offendunt: si iidem creditores essent qui  
transactionem fecissent, quae mirum in modum  
ab omnibus fere detorta sunt. Ego vero Scae-  
uolam sapienter distinxisse arbitror, inter ca-  
sum quo transigentes ipsi etiam creditores he-  
reditarii fuerunt, et inter eum quo alii credi-  
tores hereditarii adsunt. Prius adeo abs nonum  
non est, cum saepenumero et heres et creditor  
hereditatis in una persona deprehenduntur.  
Cur vero haec pars manserit indecisa, ratio illa  
est, quia hoc ex contractu transactionis statim  
clarum fit. Posterior casus eleganter deciditur  
ita ut uterque heres utrius actione conuenien-  
dus sit, quia directo neutet vel heres scriptus  
vel legitimus mansit. Conuenit autem qui-  
libet pro parte hereditatis in transactione ex-  
pressa, quia incertum est, postquam trans-  
actum fuit, qua parte alteruter succedat.*

a) in L. 14. ff. de transact.

b) vid. GVLIELMI BEST Ratio emendandi leges c. 4.  
§. 1. sequ.

c) IDEM c. l. §. 8.

¶ 2 4 \* 3 2 5

**ULB Halle**  
004 195 175

3



f  
Sl.



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



In 12115 N 37 1748, 22  
DISPUTATIO IVRIDICA  
QVINTA

# SELECTIORA IVRIS PRINCIPIA

A D

ORDINEM DIGESTORVM EXPOSITA  
LIBRI II. SPECIMEN III. CONTINENS

Q V A M

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS

INDVLTV

P R A E S I D E

## IO. TOBIA RICHTERO

PHIL. ETI. V. D.

AD DIEM XIX. IVN. A. C. N. MDCCXLVIII.

H. L. Q. C.

PVBLINE VENTILANDAM PROPONIT

## IOAN. DANIEL LONGOLIVS

B V D. L V S.

---

L I P S I A E

LITTERIS LANGENHEMIIS.

J. J. Ganzl.